516
lib 8
473

CONSTITVTIONES SYNODALES

AB ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.

DOM. LAVRENTIO ROBBIA

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
Epiſcopo Feſulano, & Comite Turichij.

Editæ Florentiæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Campo
Feſulanæ Diœceſis.

Die IV. Iunij M.DC.XXXVI.



FLORENTIAE, ex Typographia Amadoris de Maſſis, &
Landi de Landis 1636. *Superiorum Permiſſu.*

1372

LAVRENTIVS ROBBIA:
PATRITIVS FLORENTINVS
Epiſcopus Feſulanus, & Comes Turichij.

VENERABILIBVS FRATRIBVS, PRAEPOSITO; & Canonicis Clero, Populoquè Feſulano Salutem.

SVSCEPTI ratio muneris poſtulat, & commiſsi gregis ſollicitudo nos admonet, vt è ſpecula culminis paſtoralis inuigilantes, ad ea ſemper animum intendamus, per quæ decus, ac ſanctitas diuini cultus, & proximorum vtilitas augeatur. Experimento namquè didicimus, temperationem, diſciplinamque Eccleſiaſtici moris, ſenſim vetuſtate collabi, niſi vigilantiſsimi moderatoris diligentia reparetur. Natura ſiquidem ita comparatum eſt, vt homines ob indita ſemina vitiorum procliues ad malum, in officio diù ſe continere non poſsint; vbi non inſtat à tergo monitor, qui nunc obſecrationibus, nunc increpationibus opportunam adhibeat præuiſo periculo medicinam. Humani generis infenſiſsimus hoſtis ſuis quoq; artibus ad deuorandas animas ſemper intentus, aſsiduè ſaluti mortalium

 inſi-

inſidiatur; ſenſibus lenocinia voluptatũ obijcit, mentes à ſtudio rerum diuinarum auocat, ab obſeruantia ſanctiſsimarum legum auertit; proinde inſiſtendum eſt acriter imminentibus quotidiè malis, fortiter occurrendum, & ſalutaribus decretis, atq; præceptionibus inſtruendi Curatores animarum, ac Præſides Eccleſiarum, ne torpeſcentes officij ſui partem exequantur, ne mala conſuetudo populis aliquando ſubrèpat, ne leo tartareus aſsiduis excurſionibus in arcem humani cordis inuadens, morum honeſtatem, exercitamenta virtutum imminuat. Multa ſunt, quæ à Prædeceſſoribus noſtris ſalubriter monita, facem præferunt ad rectam adminiſtrationem, regimenq; noſtrarum Eccleſiarum; ſed noua nobis iniunctæ Prouinciæ cura, variæ rerum viciſsitudines, nouam veterum decretorum recordationem, & nouas conſtitutiones expoſcunt. Excipite igitur, quæ ad veſtrum officium exequendum adminicula propoſuimus, noſtraſq; huius Synodi ſanctiones æqui, bonique conſulite. Valete.

Datum Florentiæ ex ædibus B. Mariæ in Campo. Pridiæ nonas Iunij.

In nomine
SANCTISS.^MAE ET INDIVID.^AE TRINIT.^TIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

NOS LAVRENTIVS ROBBIA, DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Feſulanus, & Comes Turichij in præſenti noſtra prima Diœceſana Synodo infraſcriptas ordinationes, & decreta ſtatuimus, & promulgamus Florentiæ in Eccleſia S. Mariæ in Campo noſtræ Feſulanæ Diœceſis. Die 4. Iunij 1636.

De Officio Parochorum. Cap. I.

CVM vnaquæquè rationalis creatura per fidem teneatur ad Deum accedere, conſequens eſt, Paſtorem animarũ ſuo᷑ muneri ſatisfacere cumulatè non poſſe, niſi diligentiſſimè curet, oues vt propriæ ſincera ortodoxæ fidei cognitione paſcantur. Ideo omnes animarum curam habentes omni ſtudio contendere debent, vt oues ſibi commiſſæ Chriſtianã Doctrinam iuxta inſtructionem Eminentiſſ. Bellarmini, vel ſaltem ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ediſcant. Quod vt facilius conſequantur, ſtrictè pręcipimus Curatis, vt in ijs locis, in quibus non deſunt Pueri, alijquè qui ad recitandam

Do-

Doctrinam conuenire poſſunt, nullo pacto hoc tam neceſſarium opus omittatur. Curatos verò Rurales, vbi non eſt Puerorum commoditas, hoc modo ſe gerere mandamus. Horam populo commodiorem eligant, vel ſaltem poſt Euangelium immediatè, antequam dies feſtos ex præcepto ſeruandos, ieiuniaque pronuncient, (quæ quidem ieiunia ad quos ſpectent, & ad quos non ſpectent enucleatè declarabunt) doceant ſingillatim vnum dumtaxat, vno quoq; die feſto, ex miſterijs fidei, videlicet Trinitatem in Perſonis Diuinis, & vnitatem in natura, & eſſentia. Die feſto inſequenti vnicum articulum ex duodecim in Symbolo contentis; Tum vnicum præceptum ex Decalogo; Quibus abſolutis vnicam ex ſeptem petitionibus orationis Dominicæ; Quibus omnibus percurſis, iterũ reſumant, nec non ſingulis diebus feſtis ad extremum doceant omnes modum ritè baptizandi; Quæ inſtructio, ſi inter miſſarũ ſolemnia detur, caueant, ne extẽdatur vltra octauam horæ partem, ne populum quiſquè ſuum tædio afficiat. Atque vt ea, quæ neceſſariò ad animarum ſalutem requiruntur, à quocumq; etiam rudi apprehendãtur, mãdamus omnibus Curatis, vt ſingulo quoquè die feſto, coadunato populo, prò loci opportunitate, decantent alta voce myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Orationem Dominicam, Symbolũ Apoſtolicum, & præcepta Decalogi, ita vt eadem verba, eodemq; modo à populo ſubijciantur, ipſiquè declarent, quæ neceſſitate medij, quæquè neceſſitate præcepti, vt aiunt Theologi, ſcire oportet; atquè omnes eò magis teneri inculcent, cum illa Diuina Bonitas nobis reuelauerit. Qui verò Doctrinam Chriſtianam, vt ſupradictum eſt, docere neglexerint, pænam quinquè aureorum ſoluent, ſi per duos menſes, decem, & creſcente contumacia ab officio, beneficiouè ſuſpendantur; caueantq; prædicti, ne in Viſitatione per nos, vel per Vicarium noſtrum ſingulis annis facienda, inueniantur, qui neceſſaria ad ſalutare ignorent. Vt autem ad hoc tam ſalutare opus omnes Chriſti fideles alliciantur, nouerint quotieſcumquè docendis, vel addiſcendis Chriſtianę fidei rudimentis laborauerint Indulgentias à Pio V. & à Gregorio XIII. conceſſas ſe eſſe lucraturos.

Magiſtri quoquè teneantur ſemel ſaltem in hebdomada id erga ſuos diſcipulos præſtare, memores Cõſtitutionis Pij V. præcipiẽtis,

eos ad fidei profeſſionem teneri, non ſecus, ac prouiſi de beneficijs, quibus Con. Trid. in onus imponit.

Blaſphemias, odia, inimicitias, & furta Parochi acriter reprę-hendant, ac ſanctiore tempore aduentus, quadrageſimæ, ſolemnioribuſque feſtis populum diuini verbi pabulo per ſe, vel per alios paſcant; circa quod non ſolum extat præceptum diuinum, verum etiam Eccleſiaſticum, vt patet ex Trid.ſſ. 23. de Ref. & alibi.

Adhæc teneantur quoquè oues ſuas in Domino hortari, vt ſæpius contritionis actus eliciant, modumq; eas diſtinctè doceant, notum facientes, cui què ipſorum contritionis actum habenti prò qualibet vice 40. dies de vera Indulgentia à nobis eſſe conceſſas.

Præcipimus item ſupradictis omnibus animarum curam habentibus, & alijs quomodolibet qui reſidere tenentur, vt apud proprias Eccleſias, ſiuè Domos Parochiales perſonaliter reſidẽtiam faciant, quod eſt ibi cibum, & ſomnum ſumere, ſi autẽ vltra tempus à Conc. Trident. conceſſum, quod Curatis eſt duorum menſium, cæteriſquè trium, ſiuè ſint continui, ſiuè interrupti, abſuerint, pænas ab eodẽ Concilio indictas, & alias ab Illuſtriſſ. Dom. Bartholomęo Lanfredino Prędeceſſore noſtro in eius ConſtitutionibusSynodalibus habitis Florentiæ in hac noſtra Eccleſia anno 1612. contentas, ipſo facto incurrant, quas quatenus foret opus, confirmamus, & innouamus; Seriò iniungentes Præpoſitis, & Plebanis, qui tanquam maiores huic inuigilare tenentur, vt ſtatim nos certiores reddant ijs de Parochis, qui reſidere aſpernantur, & ſi (quod abſit) ipſi quoquè Præpoſiti ſeù Plebani in hoc defecerint, digniori plebanatus Parocho id oneris aſſignamus, omnium conſcientiam onerantes.

Nulli Curatorum liceat diebus Dominicis, alijſq; feſtis ex præcepto ſeruandis, propriam Eccleſiam deſerere, vt ad aliam, etiam proprij plebanatus miſſam celebraturus accedat, ſed tantum modo volumus ſemel in anno, die proprij Titularis, ſingulas Plebaniæ Eccleſias adire poſſe; idq; ne populis deſit opportunitas alijs feſtis audiendi ſacrum; attamen ob diſtantiam loci, vbi Sanctus Titularis colitur, & ad quem ſine incõmodo populi accedere nequeunt, vnus, vel ſi Plebaniæ amplitudo ferat, etiam duo animarum Rectores ad ſacrum peragendum, ipſa die Titularis, in propria Eccleſia remaneant,

ant, & mox ipſi quoquè ad decantandam miſſam in Eccleſiã feſtiuitatis ſe conferant, monentes populum, præcedenti feſto, ſe non in propria, ſed in Eccleſia N. celebraturos.

Quãdo occurrerit celebrare feſtiuitatem ex deuotione, ad quam plures animarum Rectores cõuenire debeant, transferatur in diem, quò non ſit præceptum audire ſacrum, ne populi aliarum Eccleſiarũ miſſa fraudentur. Mandantes quoque in hebdomada maiori, ſicuti in diebus Dominicis, & feſtis duplicibus, ne miſſæ votiuæ dicantur.

Moneant acriter viros cum mulieribus inhoneſtis cohabitantes, vt eas dimittant, quod ſi neglexerint, nos faciant certiores, adhoc; vt prohibeatur illis ingreſſus Eccleſiæ, & vſus Sacramentorum.

Nutricibus quoquè ſeuerè inculcent, vt infantes ſuos ante expletum annum in capſulis ligneis detineant, ne detur locus ſuffocationi. Quæ inobedientes fuerint, excomunicentur.

Dominica in Quinquageſima moneant populum, ne nocte illa, quæ ieiunium quadrageſimale præcedit, frangant illicitis commeſtionibus, ſed potius præparent ſe ad illud inchoandum deuotè, & humiliter, atq; in locis inſignioribus, hora competenti, detur ſignũ campanæ, quo ſigno completo ieiunium inchoabitur.

Studeant aliquos probatos libros habere, videlicet Conc. Trid. Cathechiſ. Romanum, Sacerdotale, Rituale Romanum, volumen aliquod meditationum, ſeù inſtructionum Spiritualium, Summam Nauarri, Toleti, & aliorum; Synodales Diæceſis Conſtitutiones, & Tabulam Officij decurrentis, prò ſua, & populi directione.

Vt melius oues ſuas paſtores agnoſcant, eaſquè vocent ad Ritualis Romani præſcriptum, habeant libros, in quorum vno baptizatos notent, (ſi tamen fontem habeant baptiſmalem) in altero coniugatos, in tertio mortuos, in quarto confirmatos, in quinto ſtatus totius Parochiæ diligentiſſimam deſcriptionem, omniumq; bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum Eccleſiæ cum omnibus oneribus, & quibuslibet obligationibus.

In Eccleſia, vel Sacriſtiã habeant omnes locum ſubclaue bene cuſtoditum, in quo aſſeruentur prædicti libelli, & vacante aliqua Eccleſia, illius OEconomus nullo pacto ab hæredibus Rectoris fato functi quicquam auferri permittat, antequam ijdem codices vna cũ
vete-

veteribus ſibi reddantur, & niſi eos nouus Rector, omnibus, quæ requiruntur conditionibus prouiſos, accipiet, teneatur nos hac de re certiores reddere.

Cum primum innoteſcet, aliquem animarum Rectorem grauiter, & cum periculo mortis laborare, vicinior illi Curator occaſione miniſtrandi Sacramenta infirmo, vigilet omni ſtudio, ne ab hæredibus, nec à quouis alio quicquàm de Eccleſia auferatur; cumque Eccleſia vacauerit, nobis quamprimum ſignificet; & ipſum, niſi per litteras ſecus præcipiemus, volumus illius OEconomiam ſuſcipere, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, cum portione conſueta, omniaq; iuxta illius Eccleſiæ inuentarium illicò eidem prò nouo Rectore conſeruanda reſtituantur.

In hebdomada maiori meretricum domus aqua benedicta non aſpergantur; Publiciſq; peccatoribus, & præcedenti anno nō confeſſis, nec Sanctiſs. Comunione refectis, in die Purificat. & Domin. Palmarum, candelas, oliuarumq; ramos minimè dari, mandamus.

Plebani omnes caueant, ne in ſua Plebania, vllus tàm Sæcularis, quàm Regularis Sacerdos confeſſiones audire præſumat abſquè licentia à nobis in ſcriptis obtenta; neq; externos ſine debita atteſtatione miſſam celebrare permittant.

Quilibet Plebanus conſtituat aliquem Magiſtrum cæremoniarū ex propriæ Plebaniæ Præsbyteris eligendum, qui iuxta Ritum, Officia, Funera, & Miſſas decantandas diſponat.

Omnes animarum Paſtores, ſeù quilibet Sacerdotes, quibus audiendi confeſſiones munus eſt demandatū, teneantur ſingulis menſibus ſemel in domum Præpoſiti, aut Plebani illius Plebaniæ conuenire, ſiuè quocumq; illis magis collibuerit; Vbi afferatur in medium caſus aliquis practicus ex officijs conſcientiæ, quem ſinguli ſibi deſcribant, & in ſequenti menſe in eodem cætu vnuſquiſque Sacerdotum, ſeù Curatorum reſpondere teneatur quæſtioni, menſe præcedenti, propoſitæ; dignior autem primus ſententiam dicat, & alij deinceps, ita vt in orbem ſinguli ſemel proponant, omneſque ſeruato certo ordine reſpondeant; Porrò ſoluta quæſtione, altera ſubijciatur ab eo, ad quem ſpectat, diſcutienda menſe in ſequenti, cuius dies certus dicetur, & intimabitur. Præpoſitus autem, ſeù

Plebanus habeat penes ſe libellum cum inſcriptione extrinſecus, Plebanię talis, & huc conferat quæſtiones hunc in modum; Die tali, menſe tali, anno, loco, R.D. talis propoſuit, &c. Rurſumq; ſeorſim ſubijciatur. Die tali, menſe, loco, R. D. talis reſpondit, &c. & ita digerantur ordine, & carptim ſingulorum reſponſiones; dictoq; in libello in margine ſit ſpatium, vbi correctiones, ſi opus fuerit, adnotentur. Et omnes Præpoſiti, ſeu Plebani intra ſex milliaria ab Vrbe Florentia, vnoquoquè menſe, qui intra duodecim, ſingulis bimeſtribus, & qui intra viginti tribus quoquè menſibus teneantur ad nos tranſmittere prædictos codices, cum reſponſionibus iam allatis; qui verò longius diſtant, ſingulis quadrimeſtribus idem præſtabunt. Quos libellos accipiet noſtro nomine Prior Sanctæ Mariæ in Campo, atq; ad nos deferet, vnde de noſtrorum Theologorum ſententia liquidò conijciatur, quinam ex Diœceſanis confirmationem, obiurgationemuè commereantur. Abſolutis decem diebus à proximo conuentu, ijdem Præpoſiti, ſeù Plebani curabunt recuperare ſuos libellos ab eodem, cui illos crediderunt, vt eiuſdem menſis cætum perſequi valeant, antequam menſis elabatur. Qui verò ab huiuſmodi conſeſſibus ſine legittima cauſa abſuerint (tunc autem reſponſionem ſuam de ſcripto tranſmittant) quiuè perturbationis alicuius rei extiterit, & quidlibet ex iam prædictis neglexerit, aut partim, aut omnino, non ſine iuſta indignatione à nobis corripientur, & etiam arbitrariè punientur.

Quando Epiſcopum viſitantem excipiunt, non Calices, nec Paramenta, aliauè neceſſaria ad vſum, & ornatum Eccleſiæ, mutuò accipiant, ſub pœna tam mutuanti, quam mutuatario, ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

Pridiè, quam Epiſcopus ad locum viſitandum perueniat, pulſentur campanæ, vt Populus ſe pręparet ad recipiendam viſitationem; & præcedenti die Feſto nuncietur illi inter Miſſarum ſolemnia.

Bul. Leon. X. vt in Bull. Cap. 17 Sabbato ſancto non pulſentur campanæ ante ſignum Eccleſiæ Cathedralis, quod etiam Regulares ex Decreto Sac. Congregat. ſeruare tenentur. Inſuper, & Parochi Rurales reſpectu ſuæ Plebaniæ,

Muros Eccleſiæ, domorumquè Parochialium cuſtodiant ſine

damno, & bona immobilia ſemper ad meliorem culturam redigãt.

Cæmeteria item curent, vt ſint munda, & clauſa, ne brutis pateant, ibiquè cadauera ſub terram bene condantur. In ipſis autem cæmeterijs in ſignum ſacri loci Crux erigatur altitudinis ſaltem cubitorum quinquè. Nullus iocus, nullę ſaltationes, nulla tripudia, nec commeſſationes ibi permittantur.

Miſerabiles perſonas, & omnino pauperes cum Cruce, & duabus luminibus Parochi proprijs expenſis ſepeliant; damnando ſimul omnes pactiones, & importunas exactiones in exequijs faciendis.

Morte ſubitanea extincti non prius ſepeliantur, quam 24. horarum ſpatium ſit tranſactum; In reliquis vero 12. horarum interſtitium ſufficere declaramus, præſertim ſi morbi diuturnitas, fætor, & mortis genus id ſuadeat.

Nō liceat vlli in cuius Paræcia defunctus exiſtit, pro ſuo arbitrio numerum ſacerdotum, & clericorum tam ſæcularium, quam regularium ad funus vocandorum, pręſcribere, ſed id totum in defunctorum, ſeu hęredis voluntate relinquatur; poteſt tamen Parochus illos inuitare, pro conſtituto numero vocandorum, quos de debito ſuę Eccleſię tenetur.

Veſtes, indumenta, & ornamenta cadaueris nullus Parochus ſibi retineat, niſi ſint indumenta clericorum; circa quę conſtitutiones Pij V. reliquorumq; Pontificum decreta obſeruari mandamus.

Ad feſtiuitates, vel exequijas primum inuitentur Rectores illius Plebanię, vbi funus, vel dies feſtus celebratur, & poſtea, pro vt magis libuerit, inuitentur alij extra propriam Plebaniam.

Per quam laudabile eſt, Eccleſiarum Rectores ad Dei laudem, populorumquè ędificationem, quandò ad dies feſtos celebrandos conueniunt, caſus conſcientię, aliaq; honeſtatem redolentia, hora prandij, inter ſe diſcutiant, atq; vt à pernicioſis abſtineant colloquijs, hortamur omnes Parochos, feſtiuitates, alioſuè cętus in poſterum celebraturos, ne laicos eidem Sacerdotū menſę accumbere permittant.

Capitula, Abbates, Priores, & alios quorum intereſt pręficere ſuis Eccleſijs Sacerdotes idoneos, qui Sacramenta miniſtrent, & neceſſaria populo pręſtent adiumenta, quantum poſſumus paterna

charitate in Domino hortamur, ne tanto animarum periculo ab ijſdem Eccleſijs Paſtorem abeſſe patiantur. Abſente enim eo tartareus hoſtis facilius irruit in oues; & hoc vnum omnium maximũ, atquè certiſſimum eſt, animarum ſaluti, niſi accuratiſſimè à Paſtoribus cuſtodiatur ouile, eorum abſentiam maximo eſſe detrimento. Quò circa ſtrictè præcipimus, & in virtute Sanctæ Obedientię mandamus omnibus, ad quos ſpectat, vt quantocitius Viduas Eccleſias animarum Rectoribus prouideant, & in poſterum niſi paruerint; Præpoſiti, & Plebani teneantur nobis ſignificare. Propterea amouibiles Curati tam ſæculares, quam regulares, quibus audire confeſſiones ad tempus, aliaq; Sacramenta adminiſtrare, à nobis eſt conceſſum, teneantur, antequam tempus elabatur, vel ſe præſentare nouo examini, vel ſi Eccleſiæ, cui præſunt, vlterius inſeruire noluerint, monere eos, ad quos ſpectat prouiſio, vt quamprimum illi curæ prouideatur.

De vita, & honeſtate Clericorum.
Cap. II.

CVM validiora ad permouendos animos, moreſq; ſæcularium corrigendos ſint exempla, quam verba; ideo vita clericorũ innocens, atq; irrepręhenſibilis debet eſſe. Quod vt facilius fieri poſſit, nos quibus æternus Paſtor has Feſulanæ Diœceſis oues commiſit, hæc ſtatuimus.

Quilibet clericali militiæ aſcriptus, & Chriſto ſpeciali vocatione dicatus, vtatur calceamentis, aut pelliceis, aut ſi ex alia materia, nigris, aut violaceis, ſimiliſq; coloris, nullo modo rubeis, viridibus, croceis. Veſtem itidem nigram, animique modeſtiam, ac vitę integritatem præſeferentem adhibeat, nec vllo pacto ea exutus extra domeſticos parietes incedere audeat.

A conuerſatione fœminarum, quæ parum honeſtam ſuſpicandi occaſionem præbere poſſunt, abſtineant; famulaſq; ætatem iuuenilem excedentes habeant. A venationibus illicitis, fabulis, comędijs, ab inanibus, prophaniſq; ſpectaculis, ab aleis, taxillis, omnibuſq;

buſq;

buſq; ludis prohibitis, & à non prohibitis abſtineant coram publico in vijs, in plateis; fugiant Bachanalium licentiam, commeſſationes liberas, ebrietates, Cauponas (excepto caſu itineris) negociationes, omneq; mercaturæ genus.

Anulorum vſus, & ornatus etiam Doctoribus interdicitur, dum miſſam celebrant; armorum itidem quælibet geſtatio, quæ clericalem ſtatum dedecet.

Sine bireto celebraturi ad altare non accedant, neq; recedant. Similiter Plebani, Curati, & Clerici ad quęcumq; munera Eccleſiaſtica obeunda conueniant, ſemper cum ſuperpelliceo, bireto, & caputio, (qui caputij vſum habent) accedant.

Qui certa in Eccleſia Miſſę Sacrificium peragere tenentur, ſi interdum velint abſtinere, alium ſubſtituant, qui oneri ſuo ſatisfaciat.

Extat decretum, quod confirmamus, in Diœceſana Synodo Illuſtriſs. Dom. Petri Camaiani Prędeceſſoris noſtri, edita Florentię in hoc Templo Diuę Marię in Campo anno Domini 1564. poſt eius reditum ab interuentu S. Con. Trid. quod pręcipit, Nos autem hortamur omnes Miſſam celebrantes, vt ſemel ſaltem in hebdomada peccata ſua Sacerdoti approbato confiteantur.

Habeant omnes Eccleſię tabellam in Sacriſtia affixam, in qua ſint ritè deſcripta omnia Miſſarum onera, & alia, quę in dies ſunt adimplenda.

Capitulum tam Cathedralis, quam Collegiatę poſt obitū Epiſcopi, officium vnum pro eo quamprimum celebret, in quo interſint omnes dignitates, Canonici, & Cappellani, Sacerdotes, & Clerici Ciuitatis, ſeu oppidi. Omnes vero, & ſinguli Sacerdotes noſtrę Diœceſis celebrent tres Miſſas defunctorum, cum propria Oratione Epiſcopi prędefuncti.

Capitulum Cathedralis, ſingulis annis poſt commemorationem omnium defunctorum, prima die non impedita, anniuerſarium prò Epiſcopis, & Canonicis prędefunctis, & Cappellani prò Cappellanis, celebrare teneantur inſequenti die. Multum quoq; dignitati Eccleſiæ noſtræ Cathedralis videtur conuenire, vt nullus Canonicus geſtet habitum Canonicalem extra propriam Eccleſiam, niſi interuenientibus alijs Canonicis, vt Capitulum repręſentare videantur.

Summo

Summo Pontifice, vel Epiſcopo defuncto, omnes Ciuitatis, & Diœceſis campanæ pulſentur more ſolito. Quando autem Canonicus aliquis, vel in ſacris conſtitutus moritur, ſtatim Sacriſta illius Eccleſiæ, in qua mortuus erit tumulandus, det ſignum ſolitum prò defunctis cum campana, vt eo audito, omnes orent pro eo.

Nullus Clericus tam ſęcularis, quam regularis exorcixet ſine licentia Epiſcopi; nec Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum publicè, ac viſibiliter adorandum exponat.

Capitulum tam Cathedralis, quam Collegiatę, ad diſtributionum participationem Canonicum nullum admittat, niſi prius conſtiterit illum cantu Eccleſiaſtico peritum, vel ſaltem pro ſuo munere obeundo ſufficienter inſtructum.

De Sacramento Baptiſmi.
Cap. III.

MINISTRANTES tam Baptiſmum, quam cœtera Sacramenta, caueant maximè, ne ad eorum collationem accedant ſine debita intentione, cuius carentia inualidum, & inutile reddit Sacramentum cum tanta diuinę maieſtatis iniuria, animarumq; detrimento. Seriò animaduertant, neceſſariam intentionem in comuni Doctorum ſententia requiſitam, ad Sacramentorum valorem eſſe ſaltem virtualem intentionem faciendi Sacramentum, aut id, quod facit Eccleſia, aut quod Chriſtus inſtituit debere fieri à miniſtro Sacramenti immediatè, ante actiones illas pertinentes ad Sacramentū, quod tunc conficitur; Quam intentionem Parochi Obſtetrices diligentiſſimè doceant, ſine quorum, aut Plebanorum licentia obſtetricandi munus ex officio, ſub pæna carceris nulla mulier exerceat. Hanc verò facultatem minimè dent, niſi prius ad Baptiſmum eſſentialiter pertinentia, eas ſcire nouerint, ſed vltra intentionem, verba formæ, quam ipſæ fœminæ italico idiomate melius, ac tutius proferent, qualitatem materiæ; aquam naturalem, in ea quantitate, eodē tempore, quo forma exprimitur, effundendam ſupra tot capitis partes, denudatis ſecundis, italice *(fuor della ſecondina)* vt iuxta lo-

quendi

quendi modum infans denominari poſſit ablutus.

Fontem Baptiſmalem habentes in peruigilio Paſchatis, vel etiã Pentecoſtes aquam ad vſum Baptiſmi ſolemniter benedicant, benedictamq; ſub clauis cuſtodia nitidam conſeruent in Fonte ex materia ſolida, ad eam benè continendam non ſolum mundo, ſed etiam conſuetis ornamentis inſignito.

Ad aquæ Baptiſmalis benedictionem die Sabbati ſancti tantùm conueniant cuiuſcumq; Plebaniæ Sacerdotes.

Nomina obſcena, fabuloſa, ridicula, vel inanium Deorum, aut impiorum hominum Baptizandis non imponantur, ſed potiùs Sanctorum iuxtà Ritualis Romani monita, vt hoc modo facilius eorum veſtigijs inhæreat.

Extet liber pro Baptizandis, in quo poſt cujuſlibet eorum nomina, immediatè deſcribatur nomẽ Sanctiſſimi Patris noſtri Romuli, iuxtà laudabilem, & vetuſtiſſimam harum Regionum conſuetudinem, & mox ſubijciantur alia, addito die, menſe, & anno, iuxtà Ritualis Romani præſcriptum. Memores omnes Prçſulem hunc primum fuiſſe qui nobis ortodoxæ Fidei arcana aperiret.

De Sacramento Confirmationis.
Cap. IV.

Confirmandi, eorumq; Patrini Symbolum Fidei, Prçcepta Decalogi, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam ſciant, quod Parochis diligenter curandum, & ſerio animaduertendum eſt, an præcipuè rudes benè percipiant Miſteria Fidei, quç memoriter recitant, maximè illa Trinitatis, & Incarnationis vitæ æternæ, tàm Cæleſtis, quàm infernalis neceſſaria ad ſalutem, vt aiunt Theologi neceſſitate medij, hoc eſt ſine quorum miſteriorum diſtincta, uel implicita notitia, nullus quamuis rudis, & ignarus, amicitiam, & gratiam Diuinam in hac vita, & in alia Beatitudinis gloriam conſequi poteſt.

Die Dominico ante Paſcha Pentecoſtes omnes Parochi inter Miſſarum ſolemnia moneant populum, vt ſi quis Sacramento Con

firma-

firmationis velit inſigniri diebus Paſchatis Florentiam ſe conferat; vbi, niſi à nobis confirmabitur, accedet ad Illuſtriſs. Dom. Archiepiſcopum Florentinum, cuius benignitati ob mutuam inter nos beneuolentiam confirmandos in Domino commendamus; cum iam benè nouerimus, tùm ſummam eius vigilantiam, vitæquè integritatem, tùm præcipuum Animarum ſalutis ardorem; ideò hortamur omnes confirmari cupientes, vt debita deuotione, horaq; competenti ad percipiendum hoc tam inſigne Sacramentum accedant.

Poſt tres dies, quilibet, vel à Nobis, vel à quocumque alio Antiſtite confirmatus, adeat ſuum Parochum, à quo linea victa tollatur, & comburatur, eorumque nomina diſtinctè deſcribantur in libro ad hoc deputato.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Cap. V.

QVàm utile eſt, ut æterna fęlicitas comparetur huius Sacramenti frequentia, tàm Parochis cordi ſit, ut ad eam ſubditos ſuos alliciant, arguendo, obſecrando, increpando in omni patientia, & doctrina, ut ait Apoſtolus.

Sedes confeſſionalis in unaquaque Eccleſia Parochiali omnium oculis patens ſit, eo modo fabrefacta, ut à Confeſſario Pœnitentes omninò ſeiungantur, lignea tabula, cui ſtamnea lamina perforata adhæreat, neque huic confeſſionali pia Imago, Summarium Bullæ Cœnæ, & Caſus Epiſcopales deſint.

Si quis uerbo, uel ſigno, quæ in Sacramento Pœnitentiæ audiuerit, alicui patefecerit, grauiſſimas Canonum pœnas ſubibit, & ab audiendis confeſſionibus ſit ipſo iure perpetuò ſuſpenſus.

Bonac. tract. de Sacram disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 5. n. 10. & ibi adducta Concil. Mediol.

Mulierum Confeſſiones, niſi aliud neceſſitas exigat, non in priuatis ædibus, ſed in publico Eccleſiæ loco poſt Ortum, & ante Solis Occaſum tantummodo audiantur.

Si quis Confeſſariorum (quod Deus auertat) in re uenerea cum complice deliquerit, in huiſmodi crimine complicem nullo modo Sacramentaliter audiat, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto incurrenda.

Caſus

Caſus reſeruati Epiſcopo Diœceſis Fæſulanæ.

1 NEFARIA conſuetudine Deum, Beatam Virginem ſiuē Sanctos blaſphemantes.
2 Homicidium voluntarium; mutilatio membri; & infantium ſuffocatio.
3 Vſurarios contractus celebrantes, & teſtes; qui in eis adhibentur.
4 Reſtitutio bonorum reſtituendorum à libris ſeptem ſupra, quando ignoratur certa perſona.
5 Beſtialitas, & Sodomia.
6 Sponſus, & ſponſa habentes copulam carnalem ante traditionē anuli.

De Sanctiſsimo Eucharistiæ Sacramento. Cap. VI.

AVGVSTISSIMVM Euchariſtiæ Sacramentum in omnibus Parochialibus Eccleſijs perpetuò conſeruari mandamus; tantumq; Sacramentum in tabernaculo exterius depicto, & deaurato, interius ſerico rubei coloris circumueſtito, ſuper corporale diligentiſſimè cuſtodiatur, cuius clauem, quoad fieri poteſt, cum cordula deauratam, Parochi apud ſe diligētiſſimè retineant; habeantq; ad decentiorem Chriſti Corporis conſeruationem argenteam Pixidem cooperculo nō deſtitutam, vel ſaltem æream in exteriore facie deauratam, cuius ſacræ particulæ decima quinta die ad minus ab earum conſecratione innouentur ex hoſtijs tunc recenter confectis.

Itidem tabernaculum geſtatorium argenteum, ſi commodè fieri poteſt, non deſit, vitro munitum, vt ab omnibus hoc diuinum Sacramentum conſpici queat, cum populo exponendum, vel proceſſionaliter deferendum erit. Sint valdè ſolliciti, ne infirmi ſine tam ſalutari Corporis Chriſti viatico è vita diſcedant, prò cuius honorifica delatione hæc præſtabuntur.

AEris campani pulſatione populum comitaturum cum quatuor

ſaltem interſtitijs accenſis ad Eccleſiam vocent ſub Baldacchino, vel Vmbella pro locis ac temporis opportunitate; duas particulas deferant; campanulę præcedentis ſonus perpetuò audiatur. Si autē locorum diſtantia, viarumq; difficultas cum populi comitatu, candelarumq; accenſarum luminibus geſtari non permittant; vna tantùm particula in vaſculo argenteo vndequaquè clauſo, intra burſam collo appenſam, deferatur, vno ſaltem comite præeunte cum campanula, accenſaquè laterna: In reditu ad Eccleſiam, qui ſacrum viaticum ægroto miniſtrauit, ſine ſuperpelliceo, extincto luminari, occulto Sanctiſſimæ Euchariſtiæ vaſculo, progrediatur.

Omnes tam Parochi, quam Confraternitates laicorum in feſto Corporis Chriſti teneantur ſinguli accedere ad propriam Plebaniam, vt ibi deuote, & pſallentes, habitu induti, comitentur Sanctiſſimum Sacramentum, quando proceſſionaliter geſtandum erit.

Quilibet ad huius Sanctiſſimi Sacramēti perceptionem tunc primum acceſſurus, à ſuo Parocho per aliquot dies ſcientia Doctrinæ Chriſtianæ examinetur, & de vi, ac ratione Sacræ Euchariſtiæ erudiatur.

Animarum Curatores, qui publicos peccatores ad Euchariſtiæ Sacramentum admiſerint, vel quorum negligentia aliquis ex eorū ſubditis ſine hoc, cæteriſq; Sacramentis è vita migrauerit arbitrio noſtro acriter punientur.

Iidemq; communicantium, & non communicantium ſtatum quā diligentiſſimè iuxta præſcriptum Ritualis Romani in libello ad id deſtinato deſcribant; eorumque nomina, qui per totam Octauam Aſſumptionis B.V. non fuerint confeſſi, nec Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, ſtatim ad Nos deferant; ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

Huius Sacramenti præſentiam lampas die, noctuq; ardens continuò ante altare, in quo ſedes eius eſt, populo oſtendat.

De Sacramento extremæ Vnctionis. *Cap. VII.*

EXTREMAE Vnctionis materia tum in vnaquaquè Eccleſia Parochiali perpetuò conſeruanda, tum ſingulis annis inouuanda eſt. Ideo Plebani animaduertant, an omnes Parochi ad eam recenter conſecratam recipiendam ab ipſis, tempore conſueto, acceſſerint, vt qui huic debito ſatisfacere neglexerint, puniantur; Et vt facilius delinquentes innoteſcant, in libello eorum omnium nomina ſignabunt, quibus Oleum Sanctum de nouo benedictũ dederint.

Miniſtri huius Sacramenti, quod cum ſuperpelliceo, & ſtola cõferendum eſt, caueant, ne irritum illud reddant, eò quod non ſufficienti Olei quantitate ſaltem aliquam ex conſuetis partibus corporis contingant, quæ vngendæ ſunt, memores doctrinæ Theologorum aſſerentium; Miniſtrantes hoc Sacramentum, tam paruula Olei quantitate, vt aliqua ex prædictis corporis partibus vngendis, denominari non poſſit linita, tunc miniſtrare non ſolum illicitè, vtì faciunt qui extra neceſſitatem nõ omnes aſſignatas partes liniunt; ſed etiam inualidè, ægrotumq; morientem extremæ Vnctionis gratia, multiplici fructu priuare, ipſoſq; miniſtros grauiſſimo lethali crimine conſcientiam ſuam onerare.

Monendi ſunt hoc loco Parochi poſſe licitè Oleum non conſecratum miſcere conſecrato, quando timent fore, vt Oleum conſecratum non ſufficiat; vtrumque enim cenſetur conſecratum per admiſtionem, dummodo, quod additur conſecrato ſit minoris quantitatis.

De Sacramento Ordinis, Cap. VIII.

AD primum ſacrorum ordinum, Subdiaconatum videlicet, titulo patrimonij promoueri cupientes volumus, vt in bonis ſtabilibus, fructiferis ſeu cenſibus, non in domibus conſiſtens illud integrum verè poſſederint, quod ſummam ſcutorum octingentorũ pertingat, illiuſq; fructus perceperint.

Sciant etiam, quod qui canere ignorabunt cantu firmo, ad vlteriores ordines non admittentur.

De Sacramento Matrimonij. Cap. IX.

CHRISTIANO nomini maximè indecens, ſalutiq; perniciosũ eſt, vt in ætate iam nubili ſint, qui Symbolum Apoſtolicum, diuina præcepta, & orationem dominicam ignorent. Quamobrẽ animarum Curatoribus ſeriò iniungimus, vt abſtineant à conſuetis in Eccleſia denunciationibus futuri matrimonij inter eos, qui hæc non benè teneant; ab ijſdemq; tam ſponſi, quam ſponſæ moneantur, ne antequam matrimonium ritè in facie Eccleſię contraxerint, ſimul habitent, aut conueſcantur; vtque ſaltem pridie, antequam contrahant, præmiſſa peccatorum confeſſione ſacramentali, Sacra Euchariſtia reficiantur.

